

05

A

503



DECANUS
ORDINIS THEOLOGICI
IN ACAD. WITTEB.

CASP. LOESCHERUS,

S.S. Theol. Doct. Ejusdemque Prof. Publ.

Consist. Eccles. Assessor Senior, Ecclesiae VVittenb. Pastor,
& Circuli Electoral. Superint. General.

ad auscultandam

III. April. M DC XCIX.

In Auditorio Majori,

horâ IX. matutinâ,

ORATIONEM SOLENNEM

Maxime Rev. Amplissimi atque Excellentissimi

CANDIDATI,

DN. THEODORI DASSOVII,

Hamburgensis,

Lingvarum Oriental. ap. nos Prof. Publ.

longè Celeberrimi,

Pastoris nunc primarii & Profess. Theologi ac Lingvarum
Oriental. in Acad. Kiloniens. vocati,

Omnes Theologiae & literarum Patronos & Cultores,

quò par est studio & cultu,

invitat.



DEGANNIS

UNIVERSITÄT HALLÉ

ACADEMIA WITTENBERG

CASPAR LORENZ HERMANN

Dr. phil. h. c. pub. J. 1784
Prof. der Naturgeschichte
in der Universität Wittenberg

ORATIO



DR. phil. h. c. pub. DASSOV

503 A 50

Einigen Oriental. sp. resp. Prof. Publ.

Prof. der Oriental. in der Universität Wittenberg

Einigen Oriental. sp. resp. Prof. Publ.





I. N. S. T.



Nenarrabile Numinis divini beneficium est, quando fideles ab eodem operarii in Ecclesiae Messem mittuntur. *Matth. IX, 38.* Quis enim fruges, quanquam copiosas & satis adultas, aut metet, aut colliget, aut in horrea ad usus humanos convehet, si aut rari, aut nullus apparet operarius? Aut furibus cedent fruges, aut bestiis, aut, quod pejus est, inutiliter corrumpentur. *Messis illa, L. B. Ecclesia est: Operarii vero ejus Ministri: Et Paterfamilias Deus Trinus, Pater, Filius, & Spiritus S.* Mittit enim Pater, *Matth. IX, 38.* Mittit Filius, *Matth. XXIII, 34.* Mittit Spiritus S. *Act. XX, 28.* Unde fideles Ecclesiae Ministri jure merito *Servi* appellantur Dei, quos eum in finem misit, ut sibi inservirent, *Rom. I, 1. 2. Pet. I, 1. 1. Cor. III, 5.* Et quid est *Apostolus*, nisi *Servus* à Deo missus? Quibus ergo Deus hosce *Servos* mittit, iis grande beneficium confert. Quod si enim Rex David singularem amicitiam vicino Regi Ammonitarum approbaturus, *Servos* ipsi suos, qui ob Parentis obitum solatia afferrent, transmisit, *2. Sam. X, 1. sqq.* Quantò major ea benevolentia & misericordia Dei est, quàm miseros nos homines beat, quando suos nobis *Ministros* gratiosissime largitur. Hi nimirum utilissimi illi, & prorsus necessarii sunt *Servi*, quibus Clementissimum Numen in Messe sua

suâ ordine conficiendâ utitur. Quoties hæc meditor, & post
cætera ea contemplor, quæ hanc in rem, Orthodoxus olim
Theologus, *Antonius Probus*, in dulcissima Oratione, quam de
Fridericô Myconiô conscriptam recitavit, ad somnium huic di-
vinitus factum, complexus est, toties extra me quasi raptus, in
mœstissimas cogitationes incido, quæ vivis quasi coloribus mi-
hi ingentia illa mala, pericula, damna & incommoda depin-
gunt, quibus exponuntur Ecclesiæ, quando Operarii iisdem fi-
deles eripiuntur. Et eo majora sanè pericula illa sunt, quo
minus ab hominibus sentiuntur, aut expenduntur. Despe-
ratus nimirum iste morbus est, quem ægrotus non sentit, & in-
corrigibile malum, quod, qui eò præditus est, ignorat. Mori-
tur *Iustus, & nemo percipit illud. Es. LVII, 1.* Et ea demum tem-
pora desperata meritò habentur, quæ tali hominum genere de-
honestantur. Obsecro te, quàm misera sunt tempora, quibus
vel ob armorum sævitiam, vel ob contagii immanitatem, vel
ob tempestatum atrocitatem tam, diu, tam ardentè sperata
messis miseris agricolis eripitur! Sequuntur profectò inde do-
lores, querelæ, paupertas, fames, morbi, mors & mala hujus
farinæ alia. At verò sacchara hæc sunt dulcia, si cum iis con-
feras malis, quæ ex corruptâ messe Ecclesiasticâ oriri oportet.
Sequitur enim inde conemptus verbi divini, temerarius Sacra-
mentorum neglectus, pietatis tepor, precum intermissio, fi-
dei naufragium, devotionis decrementum, omnium virtu-
tum strages, vitiorum contra ingens copia, quæ diluvii instar
ingruere solent, Superstitio, Religionis desertio, temeritas, de-
speratio, & quid non? Paucissima autem hæc mala enarrata
sunt, quibus se identidem alia & majora conjungunt. Eò e-
nim rerum statu Deus ex justissimâ irâ homines deserit: Dia-
bolus contra eosdem in omnia mala præcipitat, ut ipsos homi-
nes non oporteat non maledictos & æternum damnatos eva-
dere. Hæc qui non horret, quid tandem horrebit? Atque si
ea,

ea, quæ hæctenus adducta sunt, negligere velis, age, expende mecum infortunia quoque alia, quæ Ecclesiam in Ministrorum absentia premunt. Sicut enim Christo absente Apostoli in summo metu vivunt, *Job. XX, 19.* ita non minus absente Apostolo Petro nimium terrorem patiuntur cæteri. *Act. XII, 12. seqq.* Absente Mose, Dei Servo, Israelitæ incidebant in Idololatriam, & inde in iram Dei, & pœnas horrendas. *Exod. XXXII, 1. seqq.* Quin imò, Mose, præsentem quidem, sed non orante, vincebatur ab hostibus Israeliticis exercitus. Et quis nescit ingentia illa mala, quæ Prophetarum absentiam copiosissimè secuta sunt? Quis in memoriam non revocat, aut revocare saltim debet, quot & quantæ persecutiones mortem Apostolorum exceperint? Unde argute & eleganter *Leontius*, Episcopus Ecclesiæ Antiochenæ, paulò post moriturus, adstantibus affirmabat, *liquefcente nive suâ, quam in canis gerebat, plurimum luti futurum esse.* Vid. *Sozom. Lib. III. c. XX. f. 533.* Neque ignota sunt ea, quæ *Athanasii, Ambrosii, Augustini* obitum, mala secuta sunt. Atque si eadem quoque ignoraremus, ex memoria tamen elabi non debebant, contentiones, discordiæ, bella, agrorum devastationes, urbium everfiones, contagia, & alia hujus generis facta admodum infelicia, quæ, postquam *B. Lutherus* nobis ereptus fuit, pati Ecclesiam oportuit. Hæc atque similia quando in primis hodie altius aliquando expendere soleo, horror me capit, & luctus inenarrabilis, dum ex justissimâ Deus irâ Summos quosque Theologos nobis, id parum cogitantibus, eripit. Ingentem horum stragem ab aliquot hinc annis perpesi sumus, & satis alias miseri eramus, etiamsi nobis Deus reliquos ex clementiâ reliquisset. Sed, proh dolor! ut fluctus fluctum excipit, ita apud nos luctus luctum parit, & ingenti cum fragore trudit. Docet illud non nostra tantum Academia, sed & vicina aliæ. Et hodie quidem *Lipsiensis* præcipuè eminet, quæ non unum, quod satis durum fuisset, sed duos, quod

certi nimium nobis videtur, parvò dierum intervallò nuperri-
mè extulit Theologos, eosdemque Summos & Primos, à qui-
bus universa Ecclesià plurimum juvari potuisset. Qvòd & alios
hos, etiam apud nos, sequi oporteat, nemo dubitabit. Hæc
ergò cum ita se habeant, manifestum est, in quas calamitates
inciderimus. Et profecto si gratia, amor & misericordia Dei
ex eò rectissimè colligitur, dum Deus fideles Ecclesiæ ministros
mittit, *Es. LXII, 6.* non minus ira Dei, justusque zelus ex eo ap-
parebit, quando Servos suos ad se redire jubet. Qvoties Rex
civilis Legatos suos ex aulis, ad quas misi sunt, abire & reverti
ad se mandat, toties & iracundiam & bellandi offendendique
voluntatem confirmat. Quid ergo nobis hodie fiet? Verum,
qvod in solatium nostrum dixit Jehova: *Non finiuntur misera-
tiones meæ, novæ sunt singulis matutinis. Thren. III, 22. 23.* id no-
bis quoque dictum esse, credimus, non qvod digni tantâ mise-
ricordiâ simus, sed qvod indigi, & qvod gratia divina tanta sit,
ut negligere nos nolit. *Hos. XI, 8. 9* Apparet hæc gratia ut ex mul-
tis aliis, ita vel ex eò solò, qvod novos sibi Servos identidem in
Academiâ & Ecclesiâ nostrâ conducit, idoneosque reddit, qui
mortuorum & decedentium loca non indignè compleant.
Non adeo multi abierunt menses, quando Deus non solum
Licentiatos, sed & Doctores Theologiæ, egregios certe, ex
Statione hæc Academicâ in Messem suam extrusit, quosque suis
muneribus egregiè nunc fungi, certi sumus. *Miserationes e-
jus nondum finite sunt.* Mittit enim nunc denuò Excellentis-
simum sanè & Amplissimum Virum in eandem Messem,
qvem certe hæctenus in Academiâ nostrâ pulcherrimè excul-
tum non solum, sed & per tot annos Professionis suæ publicæ,
alios excolentem, nunc quidem eripere nobis, sed ne utiqvam
Ecclesiæ Orthodoxæ vult. Transferendus enim est non ex
vivis ad mortuos; sed ex Academia ad Academiam, ex castris
Wittembergensibus ad Castra Kiloniensa, ex Messe Saxonica
in

in Messem Holfaticam, ut & ibidem Officiis Amplissimis, in A-
cademiâ æque ac in Ecclesiâ feliciter & ingenti cum fructu
fungatur. Est verò Is *Vir Maxime Reverendus, Amplissimus*
atque Excellentissimus, **DN. THEODORUS DASSO-**
VILIUS, *Hamburgensis, Linguarum Orientalium apud nos Pro-*
fessor Publicus longè Celeberrimus, nunc verò in Ecclesiam & Aca-
demiam Kiloniensem Pastor Primarius, ut & Professor SS. Theolo-
gia & Linguarum Orientalium legitime & cum desiderio vocatus.
Et postulat quidem nunc instituti ratio, ut paucis quoque
verbis Vitam ejus, quantum fieri potest, breviter exponamus.
Patriam nactus est *Hamburgum*, Civitatem Celeberrimam, eoq;
felicior, quod præter Mercaturæ florem Ingenia proferre so-
let, quæ variò literarum genere excellunt, Patriamque suam
celebriorem reddunt. Nec minor felicitas ipsi in Parentibus
contigit. Natus enim est Patre, **JOHANNE DASSOVIO**,
Ecclesiæ Petro Paulinæ Archidiacono Vigilantissimo, & tam
propter eruditionem, quam ob agendi dexteritatem, vitæque
gravitatem Venerando. Matrem agnoscit Matronam omni
encomiò majorem, **GERTRUDEM OPPENDORFFIAM**,
optimi Civis & Jurati, ceu Hamburgi vocantur, ad D. Jacobi fi-
liam ornatissimam. Neque Patrem duntaxat habuit Theolo-
gum, sed & **AVUM & ABAVUM** ex Theologorum lectissi-
morum ordine accepit. Avus enim **THEODORUS DASSO-**
VILIUS, Superintendens Buxtehudanus, & Abavus, **HENRI-**
CUS DASSOVILIUS Pastor Lubeccensis in Templò Jacobæo,
& secundus quidem Lutheranorum fuit. Horum ergo Viro-
rum proles, eò in primis indole, quæ aptissima studiis est, præ-
dita, ultrò ab ephebis ad literas inclinavit. Et ad annum qui-
dem decimum privatos inter parietes ab Informatoribus ido-
neis pietatis & literarum elementa avidè hausit. Postea, quan-
do privati manuductores non amplius ejus indoli pares fore vi-
deban-

debantur, missus in Scholam publicam, statimque primæ Clas-
sis assecla factus, sub dexterrimâ Rectoris, *Henrici Daffovii*, Pa-
truelis sui formatione adeo egregiè profecit, ut Anno 1664.
dignus esset, qui illustri Hamburgensium Gymnasio concrede-
retur, in quo eadem felicitate vixit, nemini gravis, Professo-
ribus æquè ac Commilitonibus, ob modestiam & industriam,
valde acceptus. Addidit autem præter cætera à *Johanne
Mullero*, J. U. D. & Mathem. P. P. quæ ad Scientiam rerum Ma-
thematicarum referuntur; à *Michaele Kirstenio*, Doctore Me-
dico, nec non Physices & Poetices P. P. Affine suò desideratissi-
mo, quæ Physicam & artem Poeticam perficiunt; à cæteris cæ-
tera, quæ ad felicioris ingenii formationem requiruntur. Cum
autem ejus genius mirum in modum literas Orientales ama-
ret & amplecteretur, tradidit se informationi *Esdræ Ezardi*,
SS. Theol. Licentiati, ab earum literarum notitiâ & informa-
tionis dexteritate famigeratissimi. Ex felicitate igitur do-
centis & discantis factum est, ut Candidatus noster brevi tem-
poris spatio non solum Codices Ebræos legere & intelligere,
sed & Ebræorum Commentatores primarios, Abarbanelem,
Ben Melech, Davidem Kimchi, ut & Jarchi, cum Merceri
translationibus evolvere & conferre, nec non Chaldæas Para-
phrases cum Pauli Fagii Interpretationibus in Pentatevchum
magnò cum eruditionis fructu consulere potuerit. Neque
tamen in his excitatum ejus Ingenium acquievit, sed equi instar
generosi, ad Syriacos quoque campos & amœnitates excurrit, lau-
dabilesque progressus in eò eruditionis genere, *Alberti ab Hol-
ten* ductu, qui Ebraicam postea literaturam in Academiâ Tu-
bigeni cum laude professus est, fecit. Quando autem labo-
riosò hoc cursu factum est, ut, nisi remoram studiis injicere
vellet, ad altiora se recipere opus habuerit, placuit ei *primum*
Celeberrima tunc Gießena, ab optimis Doctoribus passim ce-
lebrata. Ad eam ergo sese Annò 1669. Mense Martio contulit,
ac

in eâque per solidum Quinquennium vixit, non ignarus, lapidem iterum iterumque commotum, & ad novos identidem locos translatum, parum amœnô gramine coronari. In hâc ergo bonarum artium & Scientiarum Mercaturâ, sedulæ instar apiculæ, mella sibi constipavit suavissima. Et primò quidem Cursum absolvit Philosophicum sub optimis Doctoribus Kilianô Rudrauffio & Johanne Weissio. Sed quoniam SS. Theol. studium præcipuus ejus Scopus erat, contulit se etiam in Theologorum castra, inque iisdem se mascule exercuit. Nactus enim Excellentissimos Doctores, *Petrum Haberkornium, Johannem Nicolaum Mislerum, Michaellem Siricium, & Philippum Ludovicum Hannekenium*, Collegam hodie nostrum honoratissimum, omnes, singulosque Theologos & celeberrimos, & quod caput rei est, maxime sinceros, & absque labe Theologiam Orthodoxam profitentes, non voluit, non potuit, non debuit, ullum ex his negligere, sed singulos adire & audire absque tædiò, & maximò potius cum fructu ex eorum informatione quotidianâ magis magisque proficere satagit. Neque solum audivit hos, sed & exprimere ipsâ praxi eosdem voluit. Disputavit ergo non solum in Scholis Philosophicis, sed & Theologicis publicè & cum applausu; ibi sub *Rudrauffio* de Causa per Accidens, & sub *Weissio* pro Magisterii Gradu consequendo de Semivirtutibus, quin & ipse Præses de Resurrectione mortuorum ex autoribus Ebræis; hic, & inter Theologos, de Salvatoris Deitate, Autor & Respondens, sub Petri Haberkonii præsidio. Ex quibus, aliisque Exercitiis, perspicuè apparuit, quâ indolis felicitate præditus sit, quosve profectus egregios in utrisque Scholis fecerit. Mansit tamen sub his quoque curis amor erga Ebræorum, cæterorumque Orientalium Doctorum thesauros, quò actus Francofurtum ad Mœnum adiit, ubi cum *Davide Clodio*, postea Doctore Theologò, Bibliothecam Ebræis Autoribus refertam, partitus est. Tandem

B

dem

dem singulari quodam & svaviori tractu Wittebergam, Annò
1673. Mense Octobri pervenit. Et quemadmodum Giessæ,
ut & modestius & splendidius vivere posset, convictum sibi Ma-
gni Medici, *Laurentii Strausii*, præ cæteris selegit; ita apud nos
maturò quòdam judicio ali primum à *Georgio Greniò*, Professo-
re tunc Publico in Athenæo nostro; postea verò à summò
Zieglero, eheu nostrò! voluit, non nescius, multa ab his viris et-
iam inter comedendum addisci posse, quæ ad omnes vitæ
usus plurimum conferunt. Id quod Ipse cum emolumentò
expertus est. Et quemadmodum *Giessam* propter Theologos
præcipuè visitaverat, ita eadem quoque causa ipsum commo-
vit, ut ad nos excurreret, studiaque Theologica ibi cœpta hic
feliciter consummaret. Incidit enim in tempus illud, quò
Magnus Calovius, cæterique ejus Parastatæ, *Johannes Meisne-
rus*, *Johannes Andreas Qvenstedius* & *Johannes Deutschmannus*,
(quorum priores beatitudine fruuntur, ultimus verò in hac
miseriarum valle adhuc degit, Senioremq; Collegii agit specta-
tissimum,) Cathedram animabant Theologicam, & indefessam
industriam bonis omnibus approbant. Ab his igitur, quæ
deesse ipsi videbantur, avidè hausit, & in usus futuros recon-
didit, suamque eruditionem Theologicam locupletavit. In-
telligebat autem, quàm primum ad nos pervenerat, rectius se
consulturum studiis & proposito suo, si, quod mos Academiae
urget, Magistris se legentibus associaret. Aggressus inde est
modestè Ordinem Philosophorum inclitum, & ab Eodem im-
petravit, ut voti sui compos evaderet. Inde semel iterum-
que Præsidem egit, deque rebus notatu dignis, in primis ex li-
teraturâ Ebræâ, disputavit. Et prostant Ejus aliquot Dissert-
tationes Philologicæ ad locum Jeremiæ XXIII, quas de primò
Messiâ conscripsit & masculè defendit. Cepit ex hac indu-
stria & labore eos fructus, ut non solum in Adjunctorum Or-
dinis Philosophici numerum benevolè, postquam de Jure fi-
nium

nium ex Ebraeorum juribus pro loco disputaverat, cooptaretur; verum etiam Anno 1676. ex clementissimâ Serenissimi Electoris Saxonici voluntate Lingvarum Orientalium Professor Extraordinarius constitueretur. Quam provinciam, postquam adeptus fuerat, omni modo exornare satagit. Hinc etiam antea Anno 1675. Pragam profectus optimos sibi libros Idiomaticis Ebraei magnò comparavit numero. Et postea Anno 1677. ideò in Angliam abiit, & in eadem ultra annum substitit, quò nimirum nihil eorum relinqueret, quod ad consummatam eruditionem Lingvarum Orientalium requiri potest. Unde Oxonii Lingvam Arabicam, Magistrò usus Gvilielmò Gvisiò, Collegii omnium Animarum Oxoniensis Sociò, diligenter addidit. Quem in finem quoque laboravit, ut indulgentiam acciperet cum studio perlustrandi Bibliothecam ibidem publicam, certè incomparabilem. Quam postquam impetravit, in primis magnâ cum animi voluptate Manuscripta Ebræa, à *Gvilielmo Laude*, Archiepiscopo, Academiae donata perlustravit, nec minus in notitiam & familiaritatem Virorum Summorum in Academia Oxoniensi, *Eduardi Pocockii*, Ebrææ & Arabicæ Lingvarum Professoris, *Allestre*, Theol. Doct. & Regii Professoris, ut & *Bernhardi & Marshami*, Professorum ibidem Celeberrimorum, nec non *Gvilielmi Seamanni*, Arabicæ Lingvæ peritissimi, benevolemitteretur, & à singulis plurimum, quo scopum sibi præfixum attingeret, adjuvaretur. Neque solum Christiani, sed & ex Judæorum ordine famigeratissimus, *Isaacus Abendana*, egregiam ei operam in prælectione Talmudis Babylonici amanter navarunt. Cumque intelligeret, fore, ut & Cantabrigiæ non contemnenda addiscere possit, Anno 1678. eò quoque se non absque sumtu contulit, similemque ibi singularia quædam cognoscendi occasionem nactus est. Admissus enim ad perlustrationem Manuscriptorum Ebraeorum, quæ magnò numero in Bibliothecâ Acade-



micâ deprehenduntur, omnem movit lapidem, ne quicquam eorum sibi effugeret, unde aliquam utilitatem haurire posset. Consuluit verò ea præcipue, ex quibus *Castellum*, at quantum Virum! multum profecisse cognoverat. Quem in finem etiam in amorem sui Doctorem *Biemont*, Professore Theologiæ Regium, nec non Doct. *Cudworthum*, Theol. & Linguarum Orientalium Prof. Publ. ut & *Robertum Seringhamium*, Virum orbi literato non ignotum, pertraxit, illisque libenter adhæsit. Et hæc omnia eum in finem fecit, ut, quæ singuli addicerant, solus & unus non ignoraret. In reditu Belgium, elegantioris literaturæ Theatrum, perlustravit. Vixit aliquantisper Amstelodami, & ibidem rariores Codices Ebræos, quos nondum possidebat, mercatus est. Ultrajecti cum *Leusdeniò*, Leidæ cum *Hulsio* & *Uchtmannò*, singulis Linguarum Orientalium Professoribus publicis, orbique notis, sermones contulit, & ex eorum colloquiis plurimum adjutus est. Visitavit etiam Leidæ Bibliothecam publicam, & in eadem imprimis Manuscripta Ebræa vidit, quæve usui esse poterant, inde excerpfit. Hæc postquam magnò cum studiò peregerat, progressus est Bruxellam & Antwerpiam, ubi non minus incomparabilem Bibliothecam visitavit, quæque notatu digna deprehendit, observavit, & in usus suos seposuit. Sed postquam alia etiam loca, visu digna, in Belgiò utroque, viderat, & singulari Dei gratia sanus atque vegetus, Anno 1678. Mense Augustò, Wittebergam suam redierat, novam fortem expertus est. Hactenus enim in Sione Ebræò vigilaverat, jam autem novâ Vocatione in Parnasum citatus fuit. Factus namq; est Professor Poetices ordinarius. Quam Spartam, etiamsi Ebræam maluisset, non neglexit, sed publicè & privatim cum Auditorum fructu, excoluit tantisper, usque dum Annò 1690. Mense Martiò suo quasi elemento, restitueretur, & à Professione Poeticâ ad ordinariam Linguarum Orientalium Professionem admotus esset. In hac verò, quem ad-

mo-

modum erat exercitatissimus, ita ea etiam præstitit, quæ excellentissimâ ejus eruditione digna sunt. Loquuntur illud tot Auditores, quos frequentissimos habuit, & ex quibus Professores hodie celeberrimi in Germania & Svecia reperiuntur. Loquuntur id labores prorsus insignes, quos in hoc studiorum genere exantlavit. Loquuntur in primis Dissertationes eruditissimæ, quæ apud exteros quoque magnô in pretiô habentur. Unde optandum erat, si ita placuisset Deo, ut in hâc campo se amplius exercere potuisset. Deo autem aliter visum est, quod & ipse præfagiens quasi sibi intellexit. Unde simul cum Lingvarum Orientalium Studiô SS. Theologiam non solum discendo, sed & docendo tractavit, magnumq; Auditorum numerum, jam in Theologiâ Theticâ, jam in Exegeticâ, jam in Homileticâ, jam etiam in Polemicâ erudit. Quare cum ejus insignis plane eruditio aliis quoque abscondita esse non posset, factum est, ut aliquoties ad Officia Ecclesiastica alliceretur. Singularem autem Dei consiliô à Wittebergâ nostrâ avelli non potuit, usque dum Numen divinum acutius ei calcar admoveret, animumque à Nobis abeundi ipsi altius imprimeret. Postquam enim singulare desiderium Kiloniensium, ut ad se veniret, semel iterumque cognovit, collegit inde seriam Dei voluntatem esse, ut Vocationi obsequium præstaret. Annuit igitur, & quo nova illa munera decenti cum decore adiret, placuit ei honores, quos vocant, Licentiæ Theologicæ amplecti. Cæterum quando, quod Deus feliciter faxit, novos illos labores aggressus fuerit, ipse sperat, à se multa, in quibus hucusque laboravit, Philologica atque Theologica, commodis publicis dari posse. Hæc verò ut imposterum feliciter eveniant, Deum precamur, quò Celeberrimo huic Scriptori vitam, sanitatem, viresque necessarias clementer suggerat. Nul-

li enim dubitamus, fore, ut, quæ ex Eius ore & calami
profluent, Academia & Ecclesiæ plurimum sint profutura.
Hæc vota eò majori cum desiderio & ardore facimus, quo-
niam ignotum non est, quanta eorum sit copia, qui hodiè
Ecclesiam orthodoxam turbare, quàm confirmare ma-
lunt, & quàm pauciè contrariò in gurgite tam vastò appa-
reant, qui tantis malis occurrere, & Ecclesiam à zizaniis
puram tueri velint. Ea certè temporum nostrorum in-
felicitas est, ut penè cum Eliâ nobis exclamandum sit ad
Deum: *Planè zelo affecti sumus pro Jehova, Deo Exerci-
tium, eò quod dereliquerunt Israelitæ fœdus tuum, altaria
tua (& Confessionis sellas) destruxerunt, & Prophetas tuos
occiderunt gladio (oris & calami:) cumque nos relictis pene
soli simus, etiam quarunt vitam nostram, ut auferant eam:*
famam enim honoris & existimationis, quantum in ipsis
fuit, jam pridem funditus evertere apud eos, quos fascina-
runt, sategerunt. *1. Reg. XIX, 14.* Quis in tantâ temporum
difficultate & durtiè hærens, non exclamaret cum Pro-
phetâ à persecutionibus pressò & defatigatò. *Satis est
nunc Jehova, accipe animam meam, non enim sum melior
majoribus meis, expeto igitur mori. v. 4.* Quemadmodum
verò Idem Propheta paulò post moriturus, & ex turbulen-
tò hujus mundi campò abiturus, sollicitus erat de Succes-
sore, deque voluntate Numinis Divini Elisam sibi substi-
tuebat; ita par est, ut nobis idem maneat desiderium ea-
demque erga miseram hodiè Ecclesiam voluntas. Gau-
demus igitur in sinu, quoties non per somnium, sed vigi-
lantes & intelligentes eos cernimus Viros nobis juniores,
qui duplici Eliæ Spiritu impleti, laudabili cum zelo, non
solum idoneos se ad pugnam contra Adversarios reddunt;
sed & illa edunt specimina, quæ, quales in posterum, & post
no-

nostra futuri sint fata, affatim demonstrant. Atque hæc
fanè singularis Dei gratia est, quâ periculofissimò horum
temporum tractu non parum erigimur, credimusque,
quod Deus adhuc pro nobis sit, proque Ecclesiâ suâ vigilias
agat perpetuas, eamque tueatur, nec non eos excitet Vi-
ros, qui heroicâ quâdam virtute orthodoxam veritatem
sint defensuri. Manebit enim Ecclesia, quam diu mun-
dus perstabit, neque porta inferorum eam superabunt. *Matth.*
XVI, 18. *Et reliquos etiam hodie faciet Deus ex Israele se-
pties mille, quorum omnium genua se non curvabunt Bahali,
quorum omnium os non osculabitur illum. 1. Reg. XIX,*
18. Inter eos ergo meritò numeramus *Candidatum no-
strum Excellentissimum*, quippe quem Deus non solum in-
comparabilibus exornavit Ingenii dotibus, sed eò etiam
induit spiritu, qui animose Adversariis sese opponit, con-
traque illos fortissimè pugnat. Edidit non adeò pridem
ea in re eximia quædam specimina, in quibus contra
Novatorem quendam prurientem B. Lutheri authorita-
tem egregiè defendit. Neque ullum nobis est dubium,
se eundem quoque impofterum esse præstiturum, cum
præcipue iis nunc admoveatur Muneribus, quæ jure suo
id ab eòdem extorquebunt. Speramus quoque, Eum id
non negligenter esse facturum, id quod ex sincerò men-
tis affectu piè optamus, Deumque, ut id faxit feliciter im-
ploramus. Favemus enim non solum hisce Ejus ausis,
sed & quæ à nobis expectare is poterit, diligenter præsti-
turi sumus, etiamsi a nobis abierit. Corpore enim sepa-
rabimur, non animò, non amore, non favore, non bene-
dicendi & faciendi promptitudine, quod non nudis verbis,
sed reapse exhibituri sumus. Et facimus nunc hujus rei ini-
tium

tium Quando enim Candidatus hic Excellentissimus apud
Ordinem nostrum Theologicum Nomen suum decenter
professus est, modesteque petiit, ut ad capessendos hono-
res Theologicos fores sibi aperire, seque ad edenda eum
in finem publica & consveta Specimina admittere vel-
lemus, nihil obstitit, quo minus ex consensu communi, &
prout par erat, ea omnia impetraret. Faciet autem hu-
jus rei initium, Cras, Deo volente, & horâ IX. antemer-
diana in Auditoriô Majori Orationem recitabit solennem,
eruditè admodum & eleganter à se conscriptam. Per-
get deinceps ad Lectiones, quas appellant, cursorias in
Psalmum CX. pari que successu & Concionem & Disputa-
tionem publicam & solennem expediet. Quibus singu-
lis, in primis verò Orationi cras recitandæ, ut *Magnificus*
Academiae Rector, Perquam Illustres Domini Barones, Patres
Academiae Conscripti, Doctores & Licentiati omnium ordi-
num, Reverendum Ecclesiae Ministerium, Praecell. Fac. Philos.
Adjuncti, cæterique Academiae nostrae Cives omnes atque
singuli, lubenter copioseque intersint, Collegii Theo-
logici, meoque & Candidati nomine decenter & instan-
ter rogo. Servet nos Deus in veritate sua, Verbum Ejus
est Veritas! P. P. Wittenbergæ, Dominicâ Palmarum
A. E. C. M DC XCIX.



Prelo CHRISTIANI KREUSIGI, Acad. Typogr.

05 A 503

ULB Halle


3

004 207 904



1077





43

DECANUS
ORDINIS THEOLOGICI
IN ACAD. WITTEB.
CASP. LOESCHERUS,
S.S. Theol. Doct. Ejusdemque Prof. Publ.
Consist. Eccles. Assessor Senior, Ecclesiae VVittenb. Pastor,
& Circuli Electoral. Superint. General.

ad auscultandam

III. April. M DC XCIX.

In Auditorio Majori,

horâ IX. matutinâ,

ORATIONEM SOLENNEM

Maxime Rev. Amplissimi atque Excellentissimi

CANDIDATI,

DN. THEODORI DASSOVII,

Hamburgensis,

Lingvarum Oriental. ap. nos Prof. Publ.

longè Celeberrimi,

Pastoris nunc primarii & Profess. Theologi ac Lingvarum
Oriental. in Acad. Kiloniens. vocati,

Omnes Theologiae & literarum Patronos & Cultores,
quò par est studio & cultu,
invitat.